Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8252
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

octauo die in veteri testamento et dominice resurrectionis post sabbatum, qui est utique octauus idemque primus, et celebrationem octaue ferie quam in regeneratione noui hominis celebramus.

De sanctis Eustachio et sociis eius

Deus qui sanctorum tuorum actus et certamina mirabiliter disponis, beati Eustachii sociorumque eius intercessione vitia nostra ab omni discrimine et aduersitate custodi. Per. Lectio

Eustachius antea Placidus vocabatur. Hic erat magister militum Traiani imperatoris. Erat enim operibus misericordie valde assiduus, sed tamen ydolorum cultura deditus. Habuit autem coniugem eiusdem ritus et mentis existentem. Duosque filios procreauit, quos iuxta suam magnificentiam magnifice educari fecit. Et quia operibus misericordie sedulus insistebat, ad viam veritatis meruit illustrari. Quadam enim die cum venationi insisteret, gregem ceruorum reperit, inter quos unum ceteris speciosiorem et maiorem conspexit, qui ab aliorum societate discedens in siluam vastiorem prosiliit. Ver-

aliis militibus circa ceruos reliquos occupatis, Placidus hunc toto nisu insequitur, ipsum capere intendebat. Quem cum totis viribus insequeretur, ceruus tandem super quandam rupis altitudinem conscendit, et Placidus appropians qualiter capere posset animo sedulus reuoluebat. Dum eum cum diligenter consideraret, vidit inter cornua eius formam sacre crucis super solis claritatem fulgentem, et ymaginem ihesu christi. Qui per os cerui, sicut olim per asinam Balaam, sic eum locutus est dicens: O Placide, quid me persequeris? Ego tui gratia in hoc animali tibi apparui. Ego sum christus quem tu ignorans colis. Elemosine tue coram me ascenderunt, et ob hoc veni, ut per hunc quem venabaris ceruum ego quoque te ipsum venarer. Alii tamen dicunt quod ipsa ymago christi que inter cornua cerui apparuit hec illa protulit. Hec audiens Placidus nimio timore correptus de equo in terram decidit, et post horam unam ad se rediens de terra surrexit et ait: He-